SVPER
POESEOS ROMANAE
PRAESIDIIS QVIBVSDAM

SCRIPSIT

NOMINE SOCIETATIS LATINAE

QVAE SVB

VIRI EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMI

IOANNIS CAROLI CHRISTOPHORI
FERBERI

PHILOSOPH. DOCT. LOG. ET METAPHYS. PROF. PVBL. ORD.
SOCIET. DVC. TEVTON. HELMSTAD. EPHORI

AVCTORITATE

HELMSTADII VIGET

AMICIS NONNVLLIS

AB ACADEMIA IVLIA CAROLINA DISCEDENTIBVS

EVENTVS STVDIORVM FELICISSIMOS

ET FAVSTA QVAELIBET

PRECATVS

HENRICVS PHILIPPVS CONRADVS HENKE
BRVNOVICENSIS
SACR. LITTER. CVLT. SOCIET. DVCAL. TEVTON. HELMSTAD.
SODAL.

HELMSTADII
EX OFFICINA MICHAELIS GVNTHERI LEVCKART
CIↃIↃCCLXXIIII



NOMINA SODALIVM
SOCIETATIS LATINAE HELMSTADIENSIS

ANTON. AVG. HENR. LICHTENSTEIN PHILOS. D. ART. LIB. M. SOC. DVC. TEVTON. SODAL. ORDIN.

HENR. PHIL. CONR. HENKE.

LVDOV. ANDR. WITTEKOPF THEOL. CAND. IN TEMPLO ACAD. A CONCIONIBVS HABENDIS ET SOC. DVC. TEVTON. ADSCR.

GEORG. FRID. SAMVEL TROTT IVR. CAND. SOC. DVC. TEVTON. AB EPISTOLIS.

IAC. CHRIST. WELAND BREMENSIS, SACR. LITTER. CVLTOR, SOC. DVC. TEVTON. HELMST. COLL.

AVG. GEORG. A BRANDENSTEIN GVELPHERBYTANVS, IVR. VTR. STVD.

IVST. CHRIST. LVD. LVETTICH THEOL. CAND. IN TEMPLO ACAD. A CONCION. HAB. ET SOC. TEVTON. SODALIS.

CAR. CHRIST. SCHVLTESIVS WISMARIENSIS, IVR. VTR. CVLT.

CAROL. WILH. NOSE BRVNOVICENSIS, ARTIS MED. CVLTOR



VIRIS

INGENIO ET DOCTRINA PRAESTANTISSIMIS

IVLIO GEORGIO AVGVSTO MACKENSEN

HELMSTADIENSI

CAVSARVM PATRONO GVELPHERBYTANO

FRIDERICO AVGVSTO WIDEBVRG

BRVNOVICENSI

SACR. LITT. IN ACAD. IENENSI CVLT. SOC. DVC. IENENSIS TEVTON. ET LATIN. ET HELMST. TEVTON. COLLEG.

IOAN. GVILIELMO THEOPHILO WOLFF

BRVNOVICENSI

S. S. THEOL. CAND. COLLEG. RIDDAGSHVS. SACRI MEMBRO ET SOC. DVC. TEVTON. HELMST. SODAL. HONOR.

IOACHIMO FRIDERICO MEIER

LVNEBVRGENSI

SACR. LITT. CVLT. IN ACAD. GOTTING.

IOANNI GEORGIO LAMPE

HAMBVRGENSI

REVER. MINIST. HAMBVRG. CANDIDATO

IOANNI FRIDERICO IVERGENS

BRVNOVICENSI

ARTIS MED. CVLT. IN COLLEG. BEROL. REG.

CHRISTIANO VON DER VECKEN

HAMBVRGENSI

IVR. VTR. CAND. ET NOTAR. PVBL. CAESAR.

S. P. D.

HENRICVS PHILIPPVS CONRADVS HENKE


Spero fore, vt non ingratum sit VOBIS, AMICISSIMI VIRI, *hoc qualecumque munusculum, quo amoris erga* VOS *nostri, memorisque* VESTRVM *animi significationem contineri voluimus. Tametsi enim et*

mihi,



mihi, et omnibus, quorum nomine iussuque scribo, nihil tristius euenire poterat, quam quod per diuturnum tempus, nisi forte — hem! vtinam egregie falleret nos auspicium! — per aeternum VOBIS, *id est, iucundissimis vitae nostrae deliciis carere abhinc deberemus, tamen mirifice leniuit dolorem nostrum dulcis et amoena de* VOBIS VESTRO*que, quem absentes etiam seruastis, erga nos amore, cogitatio, in qua nobis videmur, quasi in praeterita redire, non ea, quae transacta et elapsa iam sunt, recordatione reuocare: ita pectori nostro, ac paene intimis sensibus infixam* VESTRI *memoriam habemus, nec immerito.* VOBIS *enim permulta debemus, eademque tanta, quanta raro putem amicos ab amicis vel consequi, vel exspectare tantummodo posse.* VOS *nobis arcto, quod linguae Latinae colendae studium inuicem copulauerat, vinculo iuncti numquam non de nobis nostroque instituto bene meruistis.* VOS *denique semper propemodum in ludicris et seriis pari nobiscum voluntate concinuistis, vt vnam mentem in pluribus esse diuisam crederes. Sed loquacem me fecistis,* DVLCISSIMI, *dum* VOS *quasi coram spectare videor. Suauis hic est error, et in quo non leuiter egomet mihi placeam. — Interim dum vlterius vagari non licet, ita vt viuatis opto, et valeatis semper, quemadmodum meretis, hoc est, optime, iucundissimeque. Numen praeueniat votis nostris, et in honorem patriae* VESTRVM*que industriam virtutemque* VESTRAM *compenset. Ceterum, vt conseruetis nostri memoriam, non quod de* VESTRA *constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. Dab. Helmstadii, a. d. VIII Iun.*

CIↃIↃCCLXXIIII



SVPER



SVPER POESEOS ROMANAE PRAESIDIIS QVIBVSDAM.



Etſi in humano ingenio, ſicut in terra omnium fructuum, ita omnium artium materia latet, tamen, ut *non omnis fert omnia tellus*, ſic cuiusuis non modo hominis, ſed nationis ingenium cuiuslibet vel artis vel doctrinae frugem pari copia et laude gignere nequit. Cuius quidem rei veritatem per omnem omnino eruditionis et liberalium artium hiſtoriam compertam atque indubitatam reperimus. Sic eloquentiae, poëſeos aliarumque elegantiorum litterarum ſtudium apud nullam terrarum gentem laude floruit maiori, quam apud Graecos, et ab his ſi diſceſſeris, palmam in eo deberi genere Romanis, qui vmquam negauerit, ſcio neminem. Equidem vero quum illam ſemper ſtudiorum putauerim rationem optimam, eamque pariter viris probatam longe præſtantiſſimis viderim, quae non in legendis modo veterum ſcriptorum libris verſaretur, ſed curatius



quoque perpenderet virtutes illorum, easque quibus auxiliis adſequuti ſint, dignoſceret; hanc ſane operam non immerito in Romanorum poëtis collocare videor. Neque prorſus omni deſtitutam eſſe vtilitate putauerim huiusmodi diſquiſitionem, quamquam non ſim ille ego, qui hac mea diligentia multum profuturum bonis litteris eſſe confidam, nedum ſperare poſſim ob meam, cuius bene mihi ſum conſcius, tenuitatem. Retinet enim omnem temerariam arrogantiae opinionem verecundia quaedam, et is, quo natura ſum, pudor, ſatis me tutum ab illa praeſtat. Atqui vero, quum multiplex ratio ſit praeſidiorum, quibus alantur ingenia, artis, quam colunt, innutriantur opibus, et ad hoc illudue potiſſimum ſtudiorum genus vel inuiti ducantur, nempe, vt alia ex animi ipſius viribus et natura petita, alia vero eius ſint generis, vt coeli, morum, ſollertiae, educationis cet. beneficio contingant: id effici poſſe enumerandis et percenſendis his poëticae artis apud Romanos cauſis et auxiliis, vt, qui arti huic liberali operam nauent, ſedulo attendant ad illa, quae penitus in noſtra ſint poteſtate poſita, eademque in ſuam conuertant vtilitatem. Ceterum verſari me ſcio in argumento, quod vberius, quam harum fert paginarum anguſtia, tractari et poſſit, et mereatur. Satius vero duxi, perituris parcere chartis, quam prolixa garrulitate nauſeam denique excitare legentibus.

Primum autem, quod attingendum mihi eſt in hoc loco poëticae artis, quae apud Romanos ſubſidia fuerint, perluſtraturo, eo fere ineſt, vt iis reſpondeam, qui nulla prorſus aliena ope, nullis, quae extra hos ſint, auxiliis ali ſuſtentariue, vno ſaltim ingenio venaque poëtica praeclaram fingendi artem abſolui ſibi perſuadent. Equidem ſatis perſpectum cognitumque mihi habeo, ſine ingenii excellentia, et, cum Cicerone vt loquar, ſine *adflatu diuino*, neminem virum magnum vel naſci vel euadere poſſe. Immo vero illa ingenii poëtici vis diuina, ſi fas eſt ita vocare, non opus habet operoſa eruditione; ſibi iam ipſa ſufficit, et a ſe ſatis petere valet virium; quin multarum rerum ſcientiae, variaeque doctrinae onuſtis ſarcinis plus cohibetur, quam fouetur. Namque

— σοφος ὁ πολ —
λα ειδως φυα·
Μαθωντες δε, λαβροι
Παγγλωσσια κορακες ὡς
Ακραντα γαρυετον. a)

Enimuero quemadmodum varia possunt exsistere impedimenta, quae praecludant illum animi feruorem, ingeniique impetum, ita pariter subsidia, quae promouere, accelerare et adflare magis valeant. Sed illud ipsum comprobetur iam nunc vberius, variisque itidem illustretur historiae momentis, necesse est.

Late patet naturae benignitas in Italiae regionibus illis, quas Romani veteres incoluere. Sicut vero Graecorum ingeniorum larga foecunditas et laeta progenies ipsa coeli terraeque fauentissima indole, aërisque molli temperie valde aucta fuit et adiuta: b) ita propemodum eadem naturae beneficia fortunarunt Romanorum sollertiam. Non opus est congerere huc agmen probationum, quibus appareat, non tenuem esse climatis potestatem ad animi vires vel alendas vel minuendas, vbi res ipsa satis constat ab aliis luculente et ex instituto pertractata. c) — Vt permultum valet coeli, regionum, aquarum ingenium ad hunc illumue terrae foetum vel copiosiori prouentu vel maiori praestantia progignendum, atque vt

Hic

a) PINDAR. Olymp. β. Per σοφον ex antiquissima vocis potestate intelligit *poëtam.* Eodem etiam modo ANACREON Od. 53.

Ροδοχρεϛ δε κ' Αφροδιτα
Παρα των σοφων καλειται.

b) GVYS *litterarische Reise nach Griechenland*, P. I. p. 29.

c) Praeter *Dubosium*, *Montesquiouium* (qui tamen nimii sunt aliquantulum in hac re, finesque transgressi) et alios cf. CAR. FR. FLOEGEL V. C. *Geschichte d. menschl. Verst.* p. 52. Reu. IO. IAC. RAMBACH *vermischte Abhandl. aus d. Gesch. v. Litteratur*, p. 173.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuae,

India mittit ebur, molles sua thura Sabaei;

ita pariter res habet in colendis hominibus, nempe, vt pro locorum situ vel fertili vel steriliori, aëris vel asperitate vel tenui et molli conditione, aut valeat animus, aut destituatur.

— — *Emollit gentes clementia coeli* d)

et perquam raro experientia monstrat, quod ait IVVENAL. *Sat. X.*

Summos posse viros et magna exempla daturos

Veruecum in patria, crassoque sub aëre nasci.

Excitatur et alitur iucundiori regionum natura spiritus et phantasiae quidam ignis, quem vt maxime desideramus in poëta. Italiam vero omnem tamquam et amoenissimam et felicissimam omnium terram, *vbi largior aether campos lumine vestit purpureo*, antiqui scriptores et ipsi cum primis poëtae pariter atque recentiores summis ornant laudibus. In illis VIRGILIVS patriam ita descripsit: (Georg. II. 136.)

— *neque Medorum siluae, ditissima terra,*

Nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hemus

Laudibus Italiae certent. — —

Ex hac itaque terrarum suarum felicitate, qua penitus interim luxuriantur poëtae, ingenia eorum vtilitatis plurimum, et suauem indolem sunt consequuta. Hinc tot quasi floribus rident ipsorum carmina, laetis imaginibus et iucunda varietate exhilarata. e) Sed nolo fusior esse in eo, quod Anglorum elegantissimus ille ADDISONIVS iam satis abunde docuit, qui, quae illi videnda nobis praebuerunt, oculo-

rum

d) LVCAN. Pharsal. VIII. 366. Cf. SENECAE epist. 51.

e) Conf. ex innumera locorum segete in primis OVID. Heroid. v. 47. Amor. II. 16. 41. CLAVDIAN. XIV. 18. TIBVLL. I. 3. VIRGIL. Ecl. I. 52. Georg. II. 463. SIL. ITAL. IV. 82. HORAT. Od. I. 4. et infinitis aliis locis.

rum ſenſu animique iudicio vidit et ipſe, viſoque regionum terrarumque illarum ſitu luculente probauit, quam bene et venuſte amoenitates earum depictae ſint a poëtis. f) Semper enim ille poëtam quempiam Romanum ſecum habuit, legitque in ea parte Italiae, in qua vixiſſe et compoſuiſſe carmina diceretur, pari modo ac ciuis ipſius acutiſſimus ROBERTVS WOOD in itinere ſuo Homerum. Sic Tybrida, Padum, Alpes Apenninos, et vel tantum non omnes illarum regionum montes, fluuios, valles et ſiluas optimos ſibi fuiſſe poëtarum interpretes et ſcholiaſtas iure profitetur.

Quamuis vero nec illud paruum ſit, maius tamen et efficacius poëſeos ſubſidium vniuerſa gentis Romanae indole moribusque ſingulorum et omnium contineri non falſo videor adfirmare. Temporum enim et morum humanorum vt maxima ſemper viciſſitudo eſt; ita etiam vel inde ſubnaſcitur diſſimilitudo quaedam ingeniorum. Quod quo clarius pateat, breuem et conciſam aliquam characteris, quem vocant, nationalis Romani delineemus imaginem. Ab initio vrbis rudis et incultus ab humaniori vita populus omnia vi agere, (LIVIVS L. I. c. 9.) nil niſi arma et militarem violentiam in pretio habere (IVVENAL. Satyr. XV. v. 100 ſqq.) diuinitus datam ſibi originem gloriari, et de futura, quam augurabantur, maieſtate, inſolentius ſuperbire; (LIV. I. 16.) mox vero ſapienti Numae conſilio prudentiae ciuilis et moderatioris prima ſemina accipere, interueniente ſimul religionis metu. Et haec fere ratio fuit vsque ad reges expulſos. Tum enim, vt vere CICERO ait, (Tuſcul. IV. 1.) *progreſſio admirabilis, incredibilisque curſus ad omnem excellentiam factus eſt;* libertatis et patriae inuictus amor, domeſticae laudis fiducia, et *cedere neſcia virtus*, mentis quaedam magnitudo, et ſenſus honeſti, quae res vera ſunt, vt cum LONGINO loquar, libertatis ἀπηχήματα

χήματα

f) Remarks of ſeveral parts of Italy. Lond. 1705. Spectat huc etiam libellus b. KLOTZII, quomodo poëtarum ingenia coeli natura formentur, praef. ad nov. edit. fabul. Aeſop. Iſenaci 1771. et Opuſc. philolog. et orator. p. 61.



χήματα, omnium occupauerunt animos. Rebus ſecundis triumphare ſuperbia, aduerſis animum non abiicere, calamitatum cuiusuis generis patientes, et tales eſſe, quos Caudium, quosque Cannae non fregerint. (LIV. IX. 19.) — Mirum in modum generoſam hanc indolem aluit, et praeclaris inſtitutis auxit tam publica quam priuata diſciplina. Sed nullus adhuc litteris honor, nulla bonarum artium ſiue laus, ſiue mentio. Loquendi genus aſperum,

(— *agreſtis* enim *tum Muſa vigebat.* LVCRET.)

rudis ſeculi ſqualorem quemdam, quem inſequuta demum aetas deterſit, duriorem aliquam ſimplicitatem, et horridam prae ſe maciem ferebat. Poëſis erat hoc tempore non plane quidem nulla, nullius tamen pretii, et inſtar loquelae paruulorum dimidiata verba tentantium. Interim ingenia, quorum ſolida erat vis, indulgebant ſibi, ſpiritus ducebant, modo haec modo alia molita, et in ſermone illo incomto et incompoſito elaborabant ſubinde, impari quamuis fortuna, et ſine arte. (CIC. Tuſc. I. 2. TIBVLL. II. eleg. 1.) Poëſis iam ſenſim ſanctitatem aliquam et virilitatem, ex moribus ſenſim excultis et ad elegantiam propenſis cepit. Romanis demum, victoriarum et bellicae laudis auidiſſima gente, poſt deuictam Italiam cum populis exteris belligerantibus: ex opulentia rerum ſubnaſcente luxus, elegantiae et ſplendoris amore, mores pariter atque animi laxati et voluptate quadam deliniti paullatim exſtitere. Namque haec eſt communis aliqua ſors artium omnino omnium, vt in paupere et frugali ciuitate, g) quae vtilitatem magis, quam oblectamenta ſpectet, vel incognitae vel ſpretae plerumque iaceant; rerum vero late et vsquequaque confluentium abundanti homines ſenſim, circumſpectis, vbi diuitias in ſua vertant commoda, viis, in illas primum incidant delicias, quae *animum* capiant, et ſuaui modo demulceant. Neque obſtat profecto enunciato huic ipſa artium liberalium apud Romanos hiſtoria. Iam enim legimus ipſos belli duces fortiſſimos SCIPIONES

elegantes

g) Qualis quidem Roma fuit antiquitus. Nam ita FABIVS: veteribus Romanis ſummum luxuria crimen. Inſt. Orat. III. 7. Conf. adhaec ISELINI *Geſchichte der Menſchheit* Lib. VII.

elegantes fuisse studiorum, omnisque doctrinae et auctores et admiratores, vt praecellentes ingenio viros ENNIVM, POLYBIVM, PANAETIVMque domi militiaeque secum habuerint. (VELLEI. PATERC. Lib. I. cap. 13.) Diuersa quamlibet ab his fuerit mens L. MVMMII et CATONIS, quorum alter Corinthiacas maximorum artificum perfectas manibus tabulas et statuas in terram proiici et milites super illis ludere talis passus est, quod STRABO (Lib. VIII. p. 262.) ex POLYBIO, qui et ipse praesens viderat, recenset; alter vero M. NOBILIORI vt probrum obiecit, quod is in prouinciam poëtas duxisset: (CIC. Tusc. I. 2.) sensim tamen obtinuit in locupleti statu pulchri et venusti sensus, et moribus politis ingenia etiam propullulare coeperunt, bello inprimis Punico secundo. Ita enim PORCIVS LICINIVS: (Gell. N. A. L. XVII. 21.)

Punico bello secundo musa pinnato gradu
Intulit sese bellicosam in Romuli gentem feram.

Coëunt autem heic plura veluti ex pari, vt, quo coeptum est tramite, pergi nequeat, nisi per diuerticula quaedam in viam redeam. Attingenda enim sunt hoc loco, quae Romanorum mores, et ex his, quae poësis accepit per Graecos ornamenta. Hi enim quum essent in omni, quam late patebat, orbe terrarum in quouis liberalioris doctrinae genere felicissimi et inuentores, et auctores, venustatis et vrbanitatis optimi omnium magistri, ac denique morum cultusque domestici elegantia longe praeclarissimi; hoc deesse videbatur magnitudini Romanae, vt ad eminentem illam, qua Graeci florebant, laudem maxime adspirarent. Inuasit paulatim eius quoque gloriae cupido, vt quantum illos fortitudine ac potentia, tantum etiam ingenio superare vellent et *παντων ὑπερεμμεναι ἀλλων*. Quamuis vero iam dudum fuissent Romanis commercia quaedam cum Graecis tam publica quam priuata, non sufficiebant tamen haec ad communicandas litteras, quarum amorem demum praestantissimi triumuiri DIOGENES, CARNEADES et CRITOLAVS Romam Athenis publici alicuius negotii causa missi commendabant. Et hanc quidem ab illis profectam sollertiam non poterat exstinguere dura CATONIS seueritas, Graecis quamlibet



eiectis. Alebant enim hos primos igniculos grammatici Athenienses, et alii, qui subinde quaestus ergo artem suam docebant Romae, vel ad quos audiendos Romani discedebant. Sed deuictis tandem Athenis descendere quasi videbatur litterarum et morum cultus ad Romanos, et

Graecia capta ferum victorem cepit et artes

Intulit agresti Latio. — — h)

Ab hoc enim inde tempore libri Graecorum poëtarum frequentius lectitabantur, quam antea, Athenas quoque abhinc, ceu florentissimum artium emporium, saepissime profecti iuuenes litteris operantes deportabant in vrbem cum morum elegantia studiorum, philosophiae, eloquentiae ornamenta. Quae quum communi quodam et sororio vinculo, vel necessitudine quasi colligata, sua inter se bona communicent, altera non amplitudinem modo, sed vim etiam et robur alterius augeat; ita pariter poësis, cum ipsis illa doctrinis litterarum ad Romanos propagata, earumdem quoque opibus et locupletata fuit et effecta. Non opus esse duco, vberius comprobare rem, quae apud omnes constat, nimirum ex imitandi Graecos amore et studio etiam eripiendi virtutis poëticae laudem illis iam sensim languescentibus, plerosque Romanorum poëtas ad scribendum excitatos, eamque ob causam inferiores quodammodo illis existimandos esse. i) Quis enim nescit, omnia ab illis secundum Graecorum exemplar conscripta et adumbrata esse? Homerum VIRGILIO, Pindarum Alcaeum, aliosque HORATIO, Callimachum CATVLLO et, vt breuiter comprehendam, optimo cuilibet apud Romanos poëtae nisi materiam, occasionem saltim scribendi dedisse Graios, queis, vt ipse illorum aliquis ait,

— — *queis dedit ore rotundo*

Musa loqui. — —

Aliae quoque ab Graecis petitae doctrinae nostris profuerunt, veluti multa

h) HORAT. epist. Lib. II. 1. vers. 156. 157.

i) conf. S. V. ERNESTI de ingeniorum Graecorum et Romanorum comparatione, acroasis. Opusc. Orator. p. 113.

multa ex philoſophia ſumſiſſe TERENTIVM auctor eſt Cicero (Tuſcul. III. 15.) Quinimmo LVCRETIVS, qui, vt ipſe ſibi bene conſcius eſt, (Lib. I. v. 928.) *auia Pieridum peragrauit loca, nullius ante trita ſolo*, totus in philoſophia elaborauit, et ita popularem, copioſam, venuſtamque fecit Epicuri rationem, vt nihil poſſit ea comtius eſſe et elegantius. Vt de reliquis, qui Graecorum ſapientum placita ingenio ſuo exornarunt, vnum ſolummodo adducam exemplum, quo, quam bene et ſuauiter poëtae Romani philoſophorum Graecorum ſcripta in ornatum carminum ſuorum legerint, et imitatione repetierint, dilucide pateat. Notiſſimam illam PRODICI fabulam de Hercule in biuio virtutis et voluptatis verſante, quam egregie narrat XENOPHON, (Memor. Socr. Lib. II. c. 1.) eamdem praeter alios Graecos pariter ac Latinos ſcriptores, PLAVTVS k) comicus et SILIVS ITALICVS l) grauiter expreſſam omni poëſeos decore adumbrarunt.

Sed vt eo reuertar, vnde ſum egreſſus, ex opulentia, victoriarum copia, et cum aliis gentibus habita conſuetudine mores Romanorum vniuerſos ad ſingularem aliquam nitoris et elegantiae formam compoſitos eſſe, ciuesque ad liberaliorem luxum propenſos feciſſe ſupra iam dixi. Quibus quum magna ſit vis ad cultum ingeniorum, in eo ipſo cauſam mihi videor deprehendere, ſaltim aliquam, (plures enim iam recenſui, et infra etiam nonnullas dabo) tanti poëtarum imperante AVGVSTO prouentus, eorumque etiam praeſtantiae. Hinc vrbanitas illa et ſuauitas in HORATIO m) et VIRGILIO, hinc ille color ingenuus, ſpiritus magnitudo, imaginum et orationis diuitiae fluxerunt, quae omnia non parum aluit ſplendor aulae Auguſteae, tum temporis quae vna ſedes magnificen-

 tiae,

k) PLAVT. Trinum. Act. II. ſc. I. integra.

l) SIL. ITAL. Lib. XV. Verſ. 1-130. vbi Herculis perſonam agit SCIPIO AFRICANVS.

m) Expoſuit de hac HORATII virtute Excell. SCHIRACH, quem honoris et grati animi teſtandi cauſa nomino, in Clau. Poët. P. I. voc. *Vrbanus*.

tiae, et veriſſima elegantiae ſchola in omni fuit imperio. Vidit haec ferax in ſingulis artibus ingeniorum aetas perductam ad ſummum culmen (quantum humanae res patiuntur,) artem poëticam, non adornatam illam cincinnis, aut muliebribus quaeſitam pigmentis, ſed integra valetudine efflorescentem, plenam maſculae et incorruptae dignitatis. Similiter autem, vt fit, quod procedere nequit, vt recedat deinceps, et ſaepiſſime eadem ſit cauſa rerum creſcentium, quae, ſi in vitium nimii vertitur, decreſcentium: ſic ſequiorum temporum ſub imperatoribus male ominatis luxuries, morum indies degenerantium pravitas, adſentatio, ſordidi lucri ſtudium et infauſta libido, quae omnia peruertit, ſalubritatem etiam miſere perdidit ingeniorum. *Nec ſe Roma ferens* mole ſua collapſa eſt. —

> *Namque vt opes nimias mundo fortuna ſubacto*
> *Intulit, et mores rebus ceſſere ſecundis.*
> *Non auro tectisue modus, menſasque priores*
> *Aſpernata fames.* — — LVCAN. *Pharſal. X. 160.*

Vbi itaque vita et mores hominum a priſtino decore facti ſunt mirum quantum alieni; ſcripta etiam ab antiquae forma elegantiae receſſerunt. n) Omnes enim ad peſſimum quoduis ferri, praedulci ornatu omnis ſimplicitatis experte capi, floridae laſciuiae, exquiſitis verborum delinimentis prae vera et naturali pulchritudine locum relinquere, et orationi fuco illitae, congeſtis epithetorum et acutiarum crebro pugnantium lenociniis indulgere. Habet quidem ſuas quisque illorum temporum poëta virtutes, SENECA vel potius PSEVDO-SENECA, LVCANVS, SILIVS ITALICVS, PETRONIVS, CLAVDIANVS, STATIVS cet. ſed neque tot, neque tantas, quot et quantas ſeculi Auguſteï prae ſe fert quilibet. Horum enim, ſic praeclare iudicat WINKELMANNVS, ignis ardet, illorum autem flagrat flamma. Quaeſita elegantia numquam placet, niſi quod, qui anxie

n) Cf. SENEC. epiſt. LI. Tales quidem hoc tempore plures erant moribus, qualem ſcribit fuiſſe C. PETRONIVM Tacitus Ann. XVI. 18.

anxie quaerunt, ſimiles illi ſunt iis, qui philoſophorum lapidem explorare ſtudent, fruſtraneum quidem laborem ſubeunt, nonnumquam tamen vtilia proferunt. — Qui huic gliſcenti malo ſumma diligentia obſtitit, et corruptum illud et fractum omnibus vitiis dicendi genus reuocare ad ſeueriora iudicia contendit, FABIVS QVINCTILIANVS, cauſam eius multis locis deprauatam indolem ciuium ſui temporis eſſe ſentit: *Nos certe,* inquit, *in omnia deliciarum genera vitiaque dicendi quoque genere defluximus.* Propterea, vbi antiquiores poëtas commendat, hos omninó diligentiores eſſe contendit, quam pleroſque nouorum, qui omnium operum ſolam virtutem ſententias putarent. o) Et verum ſane hoc enunciatum eſſe facile deprehendet quisque, qui diligenter huius aeui poëtas introſpexerit.

Sed iam ad aliud attendamus praeſidium artis, idque non minus efficax et forte, quod ex ſermonis Latini contigit opportunitate. Quantum enim conferat lingua tam ad colendam ingenii virtutem, quam ad parandam aliquam in poëſi vim, grauitatem, dulcedinem, non opus eſt ediſſerere, ſi quidem hoc iam ſatis ab aliis probatum eſt, et ſine ſermonis beneficio nec quidquam praeclari poteſt emergere in ſtudiis doctrinarum. (QVINCTIL. I. O. Lib. II. c. 17.) Iam vero lingua Romana ſatis aſpera quidem fuit ab initio, dura etiam, et cum ipſo ſtatu ciuitatis pauper, litterarum tamen mox interueniente auxilio, aliisque multis de cauſis, quas enumerare omnes hoc loco longum foret: p) (Vid. HVB. FOLIETA de praeſtantia ling.

o) Inſt. Orat. Lib. I. c. 5. Alibi idem limatiſſimus iudex miſeram educationis puerorum rationem viuide depingit. *Infantiam ſtatim deliciis ſoluimus. — Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et iam coccum intelligit, iam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, quam os, inſtituimus. In lecticis creſcunt. — Omne conuiuium obſcoenis canticis ſtrepit; pudenda dictu ſpectantur.* — Lib. I. c. 2.

p) Refero huc inprimis commercia Romanorum cum aliis gentibus, Graecis, Poenis, aliisque, dein curas rhetorum et grammaticorum, eorumque auctoritatem, et praemia, denique ipſam reipubl. formam. Namque inter arcana dominationis et imperii referebatur,



ling. lat.) ita senſim et ditata et emollita eſt, vt, ſi a Graecis receдam, cuius terrarum gentis lingua maiori, quam Romana, dignitate et excellentia fuerit, exiſtimem eſſe nullam. Namque erat natura ſua diues, copioſa, laetiſſima verborum varietate, et compoſitionis libertate ſonora, quae ſimul ſumta faciliorem et paratiorem illam reddiderunt ad accipiendam eloquentiae metri legibus adſtrictae formam, et cum dulci ſuauitate decurrentes verſus. Hic linguae Latinae ſingularis nitor ſub finem potiſſimum liberae reipubl. eloquentiae inprimis, cuius tum temporis arcem tenebat CICERO, opibus ad ſummum, quem poterat adſequi, perfectionis gradum euectus non parum profecto venuſtatis, Atticae gratiae et lacteae vbertatis conciliauit carminibus poëtarum, qui circa haec tempora inclaruerunt, tantum non omnium. Quotusquisque in VIRGILIO non adamat, ſeu admiratur potius verborum flexilem concinnitatem, harmoniae iucunditatem, translationum ornatum, decoram et compoſitam ſpeciem? Atque vero tunc, VIDA canit;

Tunc linguae Auſoniae potuit quae maxima virtus
Eſſe fuit. — —

Sed nihilo minus reſeruauit Romana lingua formam aliquam ſeueritatis illius, qua priſtinis temporibus diſtincta fuit. Hinc factum, vt ad epicae magis, quam ad lyricae, et molliorem linguae indolem deſiderantis poëſeos claſſem efformandam eſſet accommodatior. Vnum HORATIVM Roma habuit, qui cum Graecis contendere poſſit, epicos vero poëtas quam plurimos. q) Et ipſi adeo poëtae Romani non diffitentur hunc ſermoni patrio defectum eſſe, palmamque deberi Graecis. Sic enim MARTIALIS (Epigr. Lib. IX. 12.)

Nomen

tur, linguam excolere patriam. Vid. S. V. BOYSSENII tract. *von der Litteratur der Roemer*, in Tom. I. hiſtor. Rom. p. 314. et Celeb. IO. ERN. IMMAN. WALCHIVM *de arte critica vet. Roman.* Cap. I.

q) Rev. I. I. RAMBACH progr. de poëtarum Lyricorum apud Rom. paucitate. Quedlinb. 1771. adde quae Excell. SCHIRACH diſputat in praefat. Clau. Poët. Parti I. praemiſſa.

Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam;
Sed tu syllaba contumax repugnas. —
Graecis est nihil negatum, —
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus seueriores.

Itaque nullo modo persuadere mihi possum, lepidissimam fuisse illam, quam GELLIVS iactitat, (N. A Lib. XIX. 9.) ANTONII IVLIANI responsionem, qua ille, tamquam pro aris et focis pugnans, linguae patriae dulcedinem perquam eximiam inesse, acriter defendere ausus contra Graecos, versus quosdam VALERII AEDITVI, CATVLLI, LICINII excitat, quibus mundius, venustius, limatius, pressius nihil quidquam reperiri putat. Satis, fateor, inepta haec disputatio GELLII mihi videtur. Nisi enim me omnia fallunt egregie, mediocria sunt, et valde inelegantia, quae Anacreonteïs et Sapphicis deliciis opponere studet IVLIANVS iste. — Quare quum, vti dixi, ad seueriora facilior esset sermo Romanus, non tamen satis mirari possum, qui factum sit, vt poëtae in duobus artis suae ramis tam segniter elaborarent, *didactico* nimirum, quod vocant, genere, et *tragico*. Cuius rei dum caussam inquiro, nullam reperio, praeter hanc, quod ab altera carminum classe magnum LVCRETII CARI exemplum deterruerit fortassis alios, ne vanam operam perderent aemulandi, altera vero vix potuerit emergere, quod plebs (vitio creatus arbiter) saeuis adsueta spectaculis parui existimauerit tragicorum conamina. r) Hinc etiam tragoediae simul illae, quae SENECAE vulgo tribuuntur, cruenta carmina vocari merentur. Feliciores paullulum Romani fuerunt in comoedia, quamuis in hac etiam claudicasse ipsos FABIVS iudicet. (I. O. X. 1.) Iuuit tamen non parum comicam vim et sales lepidos antiqua illa, quam in *Paeto* adamat TVLLIVS (Epist. ad famil. IX. 15.) et vernacula festiuitas linguae.

C Ho-

r) Plura qui nosse cupit, adeat KLOTZII praefationem nouae versioni carminis Popii: *Essay on Man.* praefixam, et Ill. LESSINGII librum omni laude maiorem *Laokoon* P. I. p. 45.



Honos, inquit CICERO, *alit artes*, omnesque incenduntur ad ſtudia gloria, ſeu, vt de poëtis differens ad poëtae ſententiam prouocem: (OVID. Triſt. V. 12. v. 37.)

— non paruas animo dat gloria vires,

Et foecunda facit pectora laudis amor.

Eadem ſors, eadem fortuna contigit etiam arti poëticae apud Romanos, quae vniuerſis litterarum doctrinis. Ex quo enim primis labris guſtare didicerant dulcedinem poëſeos, et delectari ſenſim coeperunt hisce deliciis, et honore habuerunt eos, qui tantorum bonorum auctores fuerant primi. Enimuero quo minus antiquitus honoris erat poëtis, eo minora ſtudia fuerunt. s) Namque iacent ea ſemper, quae apud quosque improbantur. Contemtus autem illius cauſam absque dubio ipſis etiam, qui primi elaborarunt in ea, adſcribere non inepte videor. Dum enim hi, magnis licet ingeniis in eo genere exſtiterunt, non ſatis Graecorum reſponderunt gloriae, eamque ob cauſam inferiores et nauci fuerunt habiti. Quapropter admodum ſero tandem eluctata eſt artium praeſtantiſſima omnium, licet vſus ipſius maturior fuerit. Namque et Saliorum quamdam poëſin fuiſſe, vix ſacerdotibus ſuis intellectam QVINCTILIANVS ait, (I. O. I. 4.) et ſolitos eſſe in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuiſſe accepimus. CIC. Tuſc. I. 2. IV. 2. quin id etiam XII tabulae declarant, condi iam tum ſolitum eſſe carmen, quod ne liceret fieri in alterius iniuriam lege ſanxerunt. — Sed primos demum ſpiritus duxit vera poëſis, quum LIVIVS ANDRONICVS fabulam Romae ageret, et inſolito plauſu ornaretur. (GELL. N. A. XVII. 21.) Excitauit huius laudis aemulatio, et celebrati fama nominis alios, ingeniisque ſubdidit ſtimulos. Hos inter erant ACCIVS PACVVIVS, NAEVIVS, alii, egregia tum laude clari, in quibus tamen, FABIO iudice, (Inſtit. Orat. L. X. c. 1.) nitor, et ſumma in excolendis operibus manus magis videri poteſt temporibus, quam ipſis defuiſſe. ENNIVM patrem, ingenio maximum,

s) CIC. Tuſc. Lib. I. 2. *An cenſemus, ſi Fabio, nobiliſſimo homini, laudi datum eſſet, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos et Parrhaſios fuiſſe?*

ximum, arte rudem praedicat OVIDIVS t) in deliciis fuisse SCIPIONI magno, et omnium praeclare ab eo gestorum socium exstitisse et comitem.

Cura deûm fuerant olim regumque poëtae,
Praemiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque maiestas et erat venerabile nomen,
Vatibus, et largae saepe dabantur opes.
ENNIVS *emeruit* —
Contiguus poni, SCIPIO *magne, tibi.*

Quin eidem imperatori laudi datum esse legimus, quod tanto rerum suarum praeconi statuam v) super sepulcro suo poni iusserit, (LIVIVS XXXVIII. 56. CIC. p. Arch. c. 9.) tamquam grauissimum sui ipsius elogium, et ita pariter, vt PHIDIAS sui similem inclusit in clypeo Mineruae, quum inscribere non liceret. Nobili quadam et glorianti laudis suae conscientia et ipse poëta nominis sui famam immortalitatis finibus terminauit:

Adspicite o ciues senis ENNII *imagini' formam!*
Hic vestrûm pinxit maxima facta patrum —
Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? volito viuu' per ora virûm. x)

Pauper tamen obiit, y) vt celebritatis, qua vixerat, honor magis videatur artis suae magister, ingeniique largitor fuisse, quam venter. Similis conditio fuit omnium fere poëtarum hoc saltim tempore. Laudabatur virtus, sed algebat plerumque; atque emergebant tamen ingenia, obstante licet re angusta domi. — Huc refero, quod TERENTIVS familiariter vixit cum SCIPIONE AFRICANO, et LAELIO, tantis viris, domi militiaeque praestantissimis, quorum laude, pariter atque grandi theatrorum plausu non leuiter floruit. Quinimmo honorem poëtis, qui habebatur, ita auctum fuisse accepimus, vt coronarentur,

t) OVID. Art. amat. Lib. III. 405-409. cf. Trist. II. eleg. I. LVCRET. de rer. nat. I. 118.

v) Honos ille solummodo erat illorum alias, qui bene de republ. meruerant. PLIN. H. N. XXIV. 5.

x) CIC. Tuscul. I. 15.

y) IDEM de Senect. c. 6.

rentur, quem ritum et ipsi peregerunt Imperatores. Vid. ROSIN. Antiquit. Rom. p. 751.

Attingendae etiam sunt hoc loco recitationes et publica, quibus poëtae vtebantur, certaminum varia genera. His enim optimus quisque vacabat, et audientium sententias in emolumentum lecti poëmatis adhibebat, siue fuerit laudis cupiditate, siue aemulationis studio, siue etiam, vt fit, inuidia ductus. Quidquid erat, vtilitas tamen harum exercitationum sane non tenuis redundabat in poëtas. z) — Sed nullo temporis aeuo potentius fuit hoc gloriae incitamentum, nullo pariter plures et praestantiores exorti sunt poëtae, quam Imperatore AVGVSTO. Is enim vnus omnium maxime fouebat ingenia, litterarum et poëticae cumprimis honorem profitebatur, atque vel integros dies inter lacrymas et singultus, hoc est, cum HORATIO et VIRGILIO, viuebat, summo illos non fauore, sed amore potius amplexus. Testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus VIRGILII, surrexit vniuersus, et forte praesentem spectantemque VIRGILIVM veneratus est, sic quasi AVGVSTVM. (Dial. de caus. corruptae eloquent. c. 15.) — Habebant et ipsi MAECENATEM, cuius, tamquam amici et aequalis, consuetudine fruerentur. — Otium erat porro, et vita ab omni publico negotio et forensi strepitu immunis, remota a sollicitudinibus, et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, dulci Musarum cultui vnice intenta. Haec vitae ratio tanta pectoris libertate, (bene vero canit, quisquis libere cogitat) et hilari voluptate beauit ipsorum animos, vt reapse videantur experti esse, quod miser OVIDIVS sibi optabat:

— carmina laetum
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt. —

— Sed super tali re melius foret, nihil, quam parum dixisse.

z) PLIN. Epist. III. v. 3. OVID. Trist. IV. 10. SENECA Controuers. XVI. — Ceterum errant, qui *collegium* aliquod *poëtarum* certis quibusdam legibus sancitum et institutum fuisse Romae contendunt, inter quos est LOMEIER de biblioth. p. 337. Nec quidquam enim hoc probare conantur ex duobus locis, altero OVIDII (*Trist.* v. 3. 47.) altero VALERII MAXIMI (Lib. III. c. 7. n. 11.) Profecto, nisi temere quaeras eiusmodi collegium, vtrumque scriptorem ne somniasse quidem videbis de re tali.

